AD
MAGNVM
BRITANNIARVM
REGEM.

Digitized by Google

AD MAGNVM BRITANNIARVM REGEM.

OPtime Rex regum, mundi melioris imago,
Aurea ſub ſceptro ſæcula cujus eunt;
Quæ te pro genero venit nataque precari,
Ad jubar auguſtum pagina muta tuum eſt.
Sed quamvis titubet, quamvis malè ſupplicet, illa,
Pro dominis cauſa eſt ipſa diſerta ſuis.
Ne tamen huic obſit, nil ut juvet, ipſa patrona:
Neu lædant numen ruſtica vota tuum;
Crede, precor, minimum blæſo nunc ore nepotem
Implorare tuam, quod facit ille, fidem.

Digitized by Google

SVPPLICATIO AD REGEM.

Maxime Rex, unum quem nunc in rebus egenis
Reſpiciunt populi, cum tanti pondere regni
Cui ſuper incumbunt magni res orbis, & ipſa
Cæleſtis tutela Gregis, ne publica mundi
Inter vota preces humilis contemne clientis,
Quas generis dictante tui concepit amore,
Et mare per tantum Cattorum e littore fudit.
Te Deus à reliquis ſecreuit regibus ipſa
Imperij regione tui, miraque quiete.
Alter namque tibi regnandus contigit orbis:
Cumque ſibi mundus noſter concurrat, & armis
Nulla parte vacet, tu Martis neſcius auro
Saturni frueris, nec ferrea ſæcula ſentis.
Sed ne crede tamen non ullo jure teneri
Te populis, magnum quos à te diuidit æquor:
Sepoſuit, non te ſubduxit, Conditor illis,
Et per te placuit mundum fulcire labantem.
Hactenus in ſtudijs aluit te nobilis otî,

Mollior ut ſancti tua per commercia cœli
Mens foret , atque hominum ſortem miſeretur iniquam:
Quamvis nulla magis fuerit miſereſcere nata.
Neve tibi vires miſeris ſuccurrere deſint;
Quam regis, illa viris opibusq́; eſt æmula mundo:
Inſula. Si neſcis, in opem tibi credidit iſta
Humani generis, jamq́; huic Deus iſta repoſcit.
Sciſne ut vitiferis Rheni dominetur in oris
Celtiber, & placidas urbes rapiatque feratque?
Diſſimulare nequis: ipſum jam triſtis Erinnys
Tranſijt Oceanum: jam veſtras verberat aures.
Auxilium, ſupplex quod te Germania poſcit,
Extorquet Natura tibi: te gentibus iſtis
Illa facit fratrem: mater communis utriſque eſt.
Quæ mordere parum ſi vincula fortè videntur,
Arctior hæc duplicat nodus: vos fœdera jungunt.
Hoc ſatis ad bellum cauſa eſt, ut cætera deſint.
Quis non pro ſocijs quos vis premit arma capeſſat?
Regia res hæc eſt: bellum tibi convenit iſtud.
Nec tamen hoc ſocios ſolo vos fœdere crede:
Majus vos fœdus ſocios, Rex optime, fecit:
Scilicet hoc, ictum quod puro ſanguine Chriſti eſt,
Vnius hoc facti vos eſtis corporis artus.

Et

Et tua diſcerpi ſecurus membra videbis?
Quin tibi commiſit turbam Rex ætheris iſtam.
Si mortale caput foret illi, tu caput eſſes:
Nunc decus es princepſque. tuum ſit dedecus, illa
Si Latio fiat te viuo præda draconi.
Cernis ut hoc monſtrū, cui te Pater optimus unum
Oppoſuit, mundum miſeros armarit in agnos.
Aſpice quàm falſa pro relligione laborent,
Quàmque alacres in bella ruant infanda profani!
Et dubitas vero pro cultu ſumere ferrum
Numinis æterni? quòd ſi Rex ille deorum
Hanc tibi det veniam, belli tamen illius eſſe
Non potes immunis: te cauſa domeſtica bello
Implicat: illius non pars, ſed ſumma caputque eſt
Ipſe tuus ſanguis. petit hoc tua viſcera ferro
Cantaber: ex illa quærit ſibi cæde triumphum.
Quin potius tanta bellum tibi mole paratur;
Et tot eunt in te peditumq́, equitumq́, catervæ:
Ad tua ſi necdum, ceu quondam, littora bello
Fulminat: interiùs tamen in te ſæuit, & ipſa
In regni nunc ille tui præcordia fertur,
Progeniem cum ſtirpe tuam dum perdere tentat.
Ecce furens tot cæde virûm, captâque ſuperbus
Vrbe Praga, natamque tuam dulceſque nepotes

Inſequitur, jam jamque tenet, mortemq́ minatur.
Quem non hic ſexus, quem non hæc tangeret ætas,
Et genus hoc? ecquis profugæ cum pignore parvo
Reginæ, quam poſſit, opem non offerat ultro?
Et pars illa tui eſt, & te tibi carior ipſo eſt.
Antè oculos utinam tibi ſit fugientis imago,
Hac ſola poteras flecti: jamq́ eſſe relictam
Proderit: hoc uno certè tua pectora frangent
Ad te quòd miſeræ non poſſunt ire querelæ.
Quid faceret? quem, te præter, deſertæ cieret.
Cui pater es materq́, polum jam matre tenente?
Illa quidem magno jam te cum Numine ſolum
Inuocat, & ſoli cum Numine brachia tendit,
Et pariter tendit lactens tibi brachia natus.
Aſt animus generi non tanta clade ſubactus
Sit tibi pro precibus: te plùs his obligat iſte.
An nunc illa ſuo virtus maturior ævo,
Dum tuus hic gener eſt, à te non impetret arma,
Quæ meruit natam? num filia vilior armis?
Hæc priuata tibi poſſint fortaſſe videri;
Et quoniam indulges tibi nil, atque omnia rex es,
Et rex ipſe tui, patrem vis cedere regi:
Sed niſi cauſa juvet, nil illis gratia proſit.
Libera dum ſervit dominis gens Boja ſuperbis,

Et

Et jam relligio ſanctis cum legibus ipſa
Exulat, inſignis quam flammis ſanxerat Huſſus:
Vnanimes regni proceres de more vetuſto
Hunc legere ſibi regem; ſacrumque tiaran
Sceptraque miſerunt ultrò, non ambijt ille;
Nec niſi principibus ſocijs ſuadentibus unquam
Accepturus erat. ſed non tam mouerat horum
Conſilium quam res miſerorum dura clientum:
Queis quia non potuit niſi rex depellere peſtem,
Suſcepit regimen; quod non contemnere maius,
Quam dare, munus erat. Boijs plus præſtitit ille.
An diadema caput velavit ſanctius ullum?
Sic cepiſſe ferunt heroas ſceptra deûmque
Progeniem. primos reges iniuria fecit;
Hos vetus inſtituit pro defenſoribus ætas.
Ne memorem gentes quæ numina vana colebant,
Ipſe deûmque hominumque Pater ſic unxit Ieſſæ
De multis minimum natis, pecoriſque magiſtrum.
An tibi non Huſſi laudatur nobilis ultor?
En! tuus ille gener cauſam defendit eandem.
Et iam libertas agitur pietaſque fideſque,
Atque iterum Boijs idem nunc ingruit hoſtis.
Egregij nomen compleuit vindicis orbem;
Et generum, rex magne, tuum laus nulla ſequetur?

Plus

Plus tamen hic fecit, pietas que hæc pulcrior illa eſt.
Hic alienus erat: patriæ ſed præſtitit ille
Officium, partemque ſui tulit ipſe laboris.
Anne igitur, ſocijs quod præſtitit, ipſe carebit
Auxilio? terriſque ſuis ſpoliabitur ipſe,
Poſthabitis aliena ſuis qui vindicat arva?
Iſta fides ad opem juveni te ſola ferendam
Extimulet, quamvis tibi non daret ille nepotes:
Iſta truces junxit Dacos & Pæonas illi.
Concedeſne tuam prolem debere ſalutem
Gentibus his? patrem regio tam barbara vincet?
At non hic animus tibi, manſuetiſſime regum,
Excidia ut poſſis lentus ſpectare tuorum,
Qui minimo fieri vim non patiare clienti:
Sed placet abſque armis ſurgens componere bellum,
Ne populis aliquà tanti ſis cauſa furoris.
Teſtor, magne pater, gentes, quas continet orbis,
Te ſatis atque ſuper rerum tribuiſſe quieti.
Ah! quoties à te miſſi rediere ſequeſtri
Incaſſum! quoties fallax te luſit Iberus!
En! alijs aliud ſeſe intulit agmen ab oris,
Singula quæ poſſent duros contundere Thracas,
Dum cupidus pacis medium te partibus offers.
Hæc tu crediderαs in Bojos robora duci,

Nec

Digitized by Google

Nec generi terris veſtri nocitura paternis:
Sic tibi per diuos omnes jurauerat ille.
Hæc ubi nunc ſpecioſa fides? exercitus arua
Inſedit generi, cenſuſq; exhaurit auitos.
Prô dolor! illa Dei ſedes, atque altera Silo,
Altera fatalis Canaæ felicia culta,
Illa pij quondam nutrix atque hoſpita cœtus,
Militibus populanda datur; ſeruitque rapinæ.
Si ſibi non liceat, patri viduæque parenti
Et proauis operam meritò nunc exigat iſtam:
Non ita de ſumma qui re meruere piorum,
Vt ſineres horum fœdari milite terras,
Fraudarique horum ſolio ſceptriſque nepotem.
Prô pudor! hiſne hæres ſit viuo Celtiber illo?
Quid non pro Solymis ætas tentauit auorum?
Vnam dum repetunt fatis obſtantibus urbem,
Non ſemel exhauſta eſt populis pars tertia mundi.
Nec tibi pro terra quidquam tentabitur illa,
Quæ fidei nutrix atq; incunabula noſtræ,
Nec tibi perque hoſtes, extremoq; orbe, petenda eſt?
Si tibi non generi, natæ ſint damna dolori.
En! tenet illius ſponſalia munera Maurus.
At tua, ſi minùs hæc, te ſaltem injuria tangat.
Det tibi perfidiæ pœnas, fraudumque ſuarum,

Et ſciat ingentem quid ſit deludere regem.
Quare age, rumpe moras omnes & corripe ferrum:
Arma dabunt mundo pacem tua: concute tantùm:
Protinus ad ſonitum Maurus ſua tela recondet.
Haud aliter fidam poteris componere pacem.
Nonne vides quid agat? ſub Boijs tendit in omnes
Fœderis ætherij ſocios. ſit Rhætia teſtis,
Cum generi ditione tui, vicinaque regna.
Anne etiam Bojo putat hæc obnoxia ſceptro?
Hoc illud fuit; hinc omnis conſurgit in arma
Mundus, & in bellum populi coïere tot unum
In te tanta ruit moles: exercitus ille
Te petit; Oceanum quamuis poſt terga relinquat,
Et curſu gelidas trans Rhenum tendat ad Alpes,
Tu pars, ſed princeps, tu vindex fœderis huius.
An caput huic cenſes qui vexat corpus amicum?
Blanditijſne huius credis? reminiſcere diua
Illius, excedens terris quæ tanta reliquit
Regna tibi. quoties hic illam fraude petiuit?
Vt ſileam claſſem quæ totum texerat æquor,
Dum ſibi poſcebat fortes ſervire Britannos.
Sed quid ad alterius refert deflectere caſus?
Fulminis iſtius mentem tibi ſtringat imago,

Quod

Quod te cum thalami ſociâ, cum principe nato,
Principibuſque alijs, & toto corpore regni
Vt rex dictus eras, ſacrâ ferijſſet in aula.
O genus horrendum cædis! quis crederet! unus
Ex oculis ictus populum cum rege tuliſſet.
Hæc tibi per proprios miſcent aconita clientes.
Ergo hæc cauſa tua eſt; propriam, Rex, ſuſcipe cauſam,
Si generi nataque haud ſuſcepiſſe placebit.
Si neque vis pro te, pro Numine ſuſcipe ſummo;
Non minùs illa Dei cauſa eſt. hic gloria namq;
Illius atque ſalus agitur cœleſtis ovilis.
Quare age, te liti tantæ præſtare patronum
Ne dubita: neque enim jus magni Rector olympi
Negliget ipſe ſuum, nec te ſua jura tuentem.
Jam nunc ille dedit tibi per quæ vincere poſſes;
Scilicet invictam pubem terrâque marique,
Et, queis Oceano toti dominare, carinas,
Inque oculis terras hoſtis portuſque patentes.
Hic ſubiges illum qui Boijs ſævit in oris.
Quòd ſi te nequeunt priuati flectere verba,
Publica Belgarum vox te, Pater optime, flectat.

Digitized by Google

Super regno
Boëmiæ.

Tradere, Rex, nutu regnũ potes: annue tantùm;
Vnicus hanc operam te rogat, ecce, gener.
Nî ſibi ſis auctor, ſceptrum fatale recuſat
Accipere: in ſocerum tam pius ille ſuum eſt.
Si te nec pietas iſtac, nec ſanguinis uſus,
Nec te Bojorum gens peritura movet;
Filia te ſaltem moveat parvique nepotes:
Rem patris hi, dotem poſtulat illa ſuam.
Hos patrio noli regno fraudare, nec illa
Per te regina nomen inane gerat.

Super nepote Regis
Pragæ nato.

Aſpice quàm blandus, quàm mentes flectere natus,
Orator Boÿs, Rex bone, poſcat opem!
Huic non poſſe loqui ſumma eſt facundia, quaque
Ora ſilent magno plus Cicerone valent.
En! tuus ille nepos, qui primum conſpicit auras,
E cunis tendit brachia parva tibi.
Illius precibus tua nata puerpera jungit,
Quas eadem fruſtra fuderat ante, ſuas.

Quod

Digitized by Google

Quod genero ſocijſque tuis præſtare grauaris,
Hoc à te ſupplex nata nepoſque ferant.

Super Regina filia cum fugeret gravida.

Jam, Rex magne, nequis non exaudire precantem
Pro genero mundum viſceribuſque tuis.
Te præſens venienſque ſimul nunc inuocat ætas;
Hæc peragit, queis non ſufficit illa, preces.
En! quæuis, grauida dulci cum pignore nata,
Implorare tuam pignora crede fidem.
Naſci poſſe rogant, nec Ibero ſerua ſuperbo:
Acceptum referet mundus utrumque tibi.

Pro cauſa armorum.

O placidæ cultor pacis, qui tollere toto,
Si liceat, mundo noxia bella velis,
Sat paci precibuſque datum eſt pellacis Iberi:
Quam dare Germanis te cupit, ipſe negat.
Dum tu legatos, qui jungant fœdera, mittis,
Ille palàm complet milite cuncta ſuo.
Quare age ne ſocios hoſti concede fideles:
Juſtior ad bellum cauſa dolorque tibi eſt.

Digitized by Google

Nam ſeu relligio eſt, illum quæ raptet in arma;
Vera tua eſt, hujus falſa pudorque Dei:
Seu conſanguinitas & gentis fama; quod ille
Affini, natæ tu generoque dabis.

In cladem Boiorum

Maure quid exultas nequicquam? falleris una
Si pugna Bojam rem periiſſe putas.
Si ſocerum regem clades modò tangeret illa,
Jam tanti fuerit tot cecidiſſe viros.
Sic faciat Deus, & noſtro ſit in omine pondus;
Non tu, ſed regis vicerit ipſe gener.

In reditum regis Boiorum
in Palatinatum.

Jmmeritum regem terris ſpoliarat avitis,
Atq; aditus omnes clauſerat, hoſtis Iber:
Non illum ſocij potuere reducere Belgæ,
Non illum potuit rex ſocer ille ſuus:
At rex intrepidus petijt ſine milite regnum;
Quod non auſa forent millia multa virûm.

Tam

Digitized by Google

Tam bona non aliter potuiſſet cauſa probari.
Jllum reſtituit maximus ipſe Deus.

Aliud.

Quæ mentita fuit vatum rex optime, turba,
Jlla tibi præſtat cura paterna Dei.
Induti nebulis urbes intraſſe feruntur
Filius Anchiſæ, Telemachiq́ pater.
In tua ſic medios veniſti regna per hoſtes?
Et quiſquam regem poſſe latere putet!
Quin etiam tecum menſæ (quis crederet!) ipſos
Exploratores accubuiſſe ferunt.
His animum firma. nec te ſic crede reuerſum,
Vt rurſus terris eijcerere tuis.

In horribile parricidium, quod olim Regi cum ſtirpe regia & Ordinibus regni pulvere tormentario ſtructum fuit.

Ecquis bruta Iouis Latialis fulmina dicat!
Heu! quali tactus fulmine Brito foret!

En!

Digitized by Google

En! cum Rege bono, natoque & conjuge Regis,
Jam ſublatus erat, ſi foret ille Deus.

In caſum magni Britanniarum regis.

O Auguſte tui fortunatiſſime mundi,
Antè Iouis qualem ſceptra fuiſſe ferunt,
Sors tua cum ſuperet veterum mendacia vatum,
Et non vana fluant aurea ſacla tibi:
Plus tamen hoc caſu tribuit tibi Numen amicum,
Et praſtant tantis ipſa pericla bonis.
Regibus hac alijs data ſunt, evadere mortem
Non ulli regum parca ſevera dedit.
Te Deus explicuit triplici ſine vulnere letho.
Vno ter caſu te periiſſe puta.
Lapſus equi, torrens, deprendiq; inter utrumq;,
Singula mors, toties vita reuerſa tibi eſt.

Aliud.

O rex, magne malis, o ſauis magne periclis,
Quem genus Omnipotens ſic probat eſſe ſuum.
Cum

Digitized by Google

Cum tibi ſit fruſtra populus princepſque ſatelles,
Nec caveat caſus nec levet ille tuos;
Non dubium eſt quin te melior cuſtodia ſtipet,
Nec te quæ lædunt lædere poſſe ſinat.
Quod tuus, ut Marij, percuſſor dicitur olim
Attonitus vultu diriguiſſe tuo,
Quod non flamma priùs, nunc te non abſtulit unda,
Fecerat hoc, quam non conſpicis, illa manus.
Regibus hinc reliquis homines quis dicere poſſet,
At tibi cuſtodes corporis eſſe Deos.

Aliud.

Ecquem, magne pater, ſic divûm Rector amavit?
Jlle tui jam ſe non amor ipſe capit.
Ecce! per immenſi molem diffunditur orbis:
Et te cum domino diligit ille ſuo.
Jn te ſævitiam ponit viresq; nocendi
Quicquid in hoc lædit, quodq; necare ſolet.
Non igitur tibi pondus equi, non obfuit amnis;
Quin hoc quo perimit profuit ille tibi.

(?) *Ne*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google